

introducitur, lasciviam et libidinem exerceri, sacerdotes plagis affici et alia multa impia et horrenda a Wandalis fieri spectarunt. Illi post eorum discessum templa repurgarunt, sacerdotes coluerunt, et eleemosynas in pauperes large distribuerunt. Tandem facto conflictu, Wandali ad unum omnes sunt trucidati, et Mauri victoriam reportarunt. Ita Evagrius, lib. IV. c. XV. et Nicephorus, lib. XVII. c. XI.

VIII. Accuratam servat disciplinam, praesertim ne in praedas se effundant milites contra fas et æquum. Hinc enim sæpius contigit, ut victores, dum improvide sectarentur praedas, praeda fierent victis. Belisarius dux Constantinopoli missus in Italiam cum exercitu ab imperatore Justiniano, ita suorum manus continuit a rapinis, ut cum iter faceret, nemo ad decerpandos fructus, qui in via ab arboribus pendebant, manum extenderit, vel in opacum locum pabulatum aut frumentatum iverit, Procopius apud Fulgos. I. II. c. II. Scipio minor videns in castris multam licentiam, lasciviam, superstitionem et luxum, divinos cum lenonibus protinus ejecit: quin et vasa omnia jussit amoveri, excepta olla, veru et poculo ligneo. Edixit ut milites stantes pranderent obsonium non igne coctum: cenarent vero discumbentes, panem, aut pulsem solam et carnes assas sive elixas. Ipse vero sago tectus obambulabat castra dicens, se lugere exercitus dedecora, Plut. in apoph. Rom.

Milites etiam suos non sinit otio diffuere et contabescere. P. Nasica militi requiem nunquam dabat. In hibernis vero, ubi non pugnatur, classes ædificare milites cogebat, ne desidia corrumperentur. Pompeius semper cum alacribus militibus cursu, cum validis vecte, cum velocibus saltu certabat et cursu. Trajanus suos milites quoties vacabant, cursu, saltu, usu natandi exercebat: studio cæsim punctimque feriendi, funda aliisque modis exagitabat.

IX. Militibus stipendia sua numerat, neque eos injuste opprimit, aut bonis exuit, vel oneribus et annonæ caritate premit. Pecunia belli et militum nervus est, et quemadmodum medici negant homines ambulare sine nervis posse: ita nec bellum sine pecunia progredi potest. Unde T. Flaminius Philopœmeni Achæorum prætori multis equitibus et gravis armaturæ viris instructo, pecuniæ autem inopi, dixit, manus eum et crura habere, sed ventre carere, Maiol. tom. III. col. II. Ad hæc qui defraudat milites debito stipendio, et ipse sibi indelebilem avaritiæ notam inurit, et milites prædones efficit aut transfugas; denique ad restitutionem obligatur. Gravius adhuc delinquit, si ipsosmet milites reculis suis spoliât. Cu-

jus memorabile exemplum refert Cedrenus de Theophilo imperatore qui in hujusmodi spoliatores animadvertit. Miles quidam manu promptus equum trahit egregium, qui ipsum sæpe incolumem ex acie extulerat. Hujus equi amore captus dux, sub quo is militabat, cum neque pollicitationibus neque minis impetraret, hominem timiditatis accusatum apud imp. exauctorat. Cum autem Theophilus equum insigni virtute cuperet habere, et missis in omnes partes mandatis talem sibi quæri, atque adduci juberet, eam nactus occasionem dux iste, militi equum invito adimit, et tamquam suum imperatori mittit. Post cum necessitas bellica plures milites requireret, mandatoque imp. omnes, qui arma ferre possent, in exercitum allegerentur, ille etiam miles arma sumpsit, et in prælio fuis suis, quod equum, a quo servari consueverat, non haberet, occubuit, uxore et liberis relictis. Vidua amissi mariti desiderio accensa, et quod necessaria pupillis subministrare nequibat, justitiæ imp. fama instigante Constantinopolim venit, Theophilumque ad templum Blachernense equitantem de more conspicata mariti sui equo vehi, concitato cursu aggressa, frenum equi apprehendit, suum hunc esse vociferans et non alium, sed ipsum imperatorem cædi mariti sui causam præbuisse. Perterritus imperator manere eam jubet, dum in palatium ipse redeat: ac reversus statim ad se vocat, ac de re tota accuratius inquirat. Quam cum ea ad finem usque recitaret, illico etiam dux ipse sistitur, et muliere jussu imp. occultata, de equo acriter interrogatur. Quem cum asseveraret suum fuisse, neque raptu paratum, producit extra velum mulier reum de vi peractura. Qua is conspecta dirigit, et aliquamdiu mutus adstitit: tandemque ad se reversus, supplex pedibus imp. sese advolvit lacrymans, ac peccatum confitens. Ergo imperator ipsius facultates viduæ, ejusque liberis hereditario jure addicit: ipsumque dignitate spoliatum exilio perpetuo damnat. Adeo infensus erat et iis, qui injuste opes parare intenderent, Cedren.

Denique, curat gratis sanari milites læsos, quibus præest, sique strenue in bello versati vulnus acceperunt, quoad victum sibi posthac comparandum reddantur inepti, consulit iis in futurum. In obsidione urbis singularem gerit curam eorum obsessorum, qui merito præsumuntur innocentes, hoc est, parvulorum, mulierum, senum, sacerdotum, edicitque suis, ne in tales gladium, furoremque convertant.

X. Victoriam Deo adscribit, nec devictis hostibus insultat, ingenuis praesertim: sed miseretur eorum potius, humanæ conditionis memor,

mestosque consolatur, nisi pergant inolescere. Ita Moyses post victoriam de Amalee obtentam, ædificavit altare, idque appellavit: *Dominus exaltatio mea*, Exod. XVII. et Num. XXXI. jubet Deus post victoriam separari partem prædæ Domino, darique sacerdotibus in signum gratitudinis, quod a Deo obtenta esset. Hinc David gladium Goliath, quo ipsummet capite truncavit, Deo dicavit et in tabernaculo suspendit, I. Reg. XXI. Phocas imp. Tarso et Mopsuestia urbibus Agarenorum captis, Constantinopolim reversus, portas earum secum duxit, Deoque quasi suæ expeditionis primitias tribuens in templo S. Sophiæ dedicavit. Joannes Columna cardinalis ab Honorio pont. christiani exercitus et classis legatus Heliopolim in Ægypto expugnavit et inde sacrum trophæum, columnam scilicet, in qua Christus deligatus et flagris cæsus fuit, tulit, et Romæ in templo S. Praxedis statuit, P. Jovius in pompa columnæ. Theodosius junior imp. cum ei victoria de tyranno Joanne in ludis Circensibus renuntiaretur, ad populum vociferans: *Agite inquit, ludicro hoc omisso, in ædem hanc peccatoriam eamus, et carmina gratiarum auctori victoriæ Deo concinamus*, Nicephorus, I. XIV. c. VII. Quin etiam gentilis imp. Titus post captam et excisam Jerosolymam Deo victoriam suam adscribens, coronam, quam ei propterea finitimæ gentes obtulerant, acceptare noluit; non enim se talium operum auctorem, dicitans, sed Deo contra Judæos iracundiam demonstranti manus præbuisse suas.

Hæc fere dotes sunt boni et æqui ducis, quas nostro centurioni non arbitror defuisse, siquidem, ut diximus, et bonum gubernatorem, et Dei cultorem, et militum suorum amatorem ac patrem revera se exhibuit. Has ergo si, ut in centurione isto, ita in aliis quoque belli ducibus invenerit Dominus, merebuntur etiam illi suo tempore extolli et celebrari ab ipso Christo: *Amen dico vobis: Non inveni tantam fidem, tantam virtutem, in Israel, etc.*

## CONCIO IX.

## PRÆSCRIPTA MILITUM.

I. Bona intentione militent. — II. In Deo potius quam in suo robore confidant. — III. Sint fideles. — IV. Zelum habeant bonum. — V. A gravioribus vitis absteineant. — VI. Sint expiati ante conflictum.

## THEMA.

*Iabens sub me milites dico huic: Vade, et vadit, et alii: Veni, et venit.* Matth. VIII.

Quemadmodum necessarium est militi, ut an-

tequam in prælium eat, armis convenientibus muniatur, ita non minus, imo magis est necessarium, ut sciat et intelligat, quod sit ejus officium, nisi vinci velit. Hoc advertentes milites illi, Luc. III. venerunt inter alios ad Joannem Baptistam in desertum, et interrogaverunt eum: *Quid faciemus et nos?* Quibus respondit: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris.* Ubi vetat eis militiam, nec instruit armis corporalibus quænam illi gestare vel quo modo debeant, etc. Sed armis tantum spiritualibus velut magis necessariis, ad quæ milites sæpe parum attendunt. Quoniam igitur et in hunc locum sæpius conveniunt milites ad verbum Dei audiendum, haud dubie ut intelligant etiam ipsi, quid sibi faciendum sit: et quia hodiernum evangelium proponit nobis morigeros centurionis milites, volui hos illis proponere in exemplum, simulque explicare, quæ strenuum ac christianum militem decent.

Apostolus Paulus ad Eph. VI. militem describens christianum, sex arma ei perquam necessaria præscribit, cum ait: *Assumite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare, state ergo succincti lumbos vestros in veritate; en cingulum armorum primum. Et induite loriceam justitiæ; en secundum. Calceate pedes in præparatione evangelii pacis; en tertium. In omnibus sumentes scutum fidei ut possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere; en quartum. Et galeam salutis assumite; en quintum. Et gladium spiritus, quod est verbum Dei; en sextum.* Quæ quidem arma spirituali tantum assignat militi, desumpit tamen ab iis quæ debentur et conveniunt vero militi. Incipiamus nos a galea, quæ quia caput munit, intentionis significat bonitatem, quæ militem ad militiam permovere debet. Ut enim caput principium est sensuum et nervorum, sic intentio operationis. Quemadmodum homo præ omnibus membris caput tutatur, dum brachia objicit ictibus, quo caput servet: ita ante omnia attendere miles debet, ut bonam habeat militandi intentionem, scilicet ad Ecclesiæ defensionem, justitiæ promotionem, injuriarum propulsionem, patriæ propugnationem, etc. et ultimate ad Dei solius gloriam: ideoque intentio bona, recte vocari potest galea salutis, quia ab ea salus pendet. Si intentio tua bona fuerit, omnis tua militia bona erit: sicut totum corpus lucidum erit, si oculus sit lucidus. Si vero oculus obscurus et turbatus pulvere avaritiæ, prædæ, libertatis, ambitionis fumo, etc. fuerit, totum corpus tuum cæcum erit, in tenebris, et ad tenebras ambulabit: omnes militiae labores inutilis, imo abominabiles coram Deo erunt. Qui



versus polum arcticum navigant, Buccinam contemplantur, id est, constellationem illam, quæ refert speciem buccinæ. Qui vero polum antarcticum, Crucem intuentur, id est, constellationem quæ refert formam crucis, ut scribit Barrad. tom. II. in evang. Polus arcticus malum representat finem, juxta id Jerem. I. *Ab aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores terræ.* Antarcticus vero finem bonum. Cogita ergo, cum militiæ nomen das, te navigium et mare conscendere, ubi omnia plena periculis et incertus reditus; et propterea sedulo attende, quem tibi finem proponas, ne ad buccinam ambitionis, cupiditatis, libertatis attendas, quia hoc pacto ad rigidissimum inferni arcticum et noctem æternam navigares. Attende potius ad crucem, quam representat vexillum, juxta Hier. in ep. ad Lætam: *Vexilla militum crucis insignia sunt,* ait: et pro ea fortiter dimicare contende. Hæc enim Constantino M. a Deo in aere ostensa, cum addito illo: *In hoc signo vinces.* Ejus deinceps vexillum in bellis fuit, etc. animumque illi addidit, ac de omnibus hostibus insignes peperit victorias. Huc certe tendebat veterum Christianorum consuetudo, ut eo die, quo quis militiam amplecteretur, Ecclesiam solenniter adiret, et gladium in altari collocaret, et postquam se suumque propositum Deo et Ecclesiæ devovisset, eundem ab altari acciperet, ut refert Helinand. apud S. Bernardin. in III. p. summ. tit. IV. c. I. IX. VIII. ut hac quasi professione, se obsequio altaris devoveret, et Dei servitio. Qui ritus forte ex XV. Macchab. desumptus est, ubi per visum apparentis Jeremias propheta Judæ Macchabæo, extendit dextram et dedit ei gladium aureum, dicens: *Accipe sanctum gladium, munus a Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israel.*

II. Assumat scutum fidei, seu confidentiæ et fiduciæ in Deo magis, quam in propriis aut creaturarum viribus. In scuto veteres milites maximam posuere fiduciam, quia per illud omnes ictus declinabant, et in eo recipiebant. Scutum militum esse debet fiducia in Deo, per quem omnia, sine quo nihil efficient. Audi Psal. XXXII. *Non salvatur rex per multam virtutem, et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ! Fallax equus ad salutem, in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur.* Ubi ergo? *Ecce oculi Domini super metuentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus.* Ratio, quia victoria est donum Dei, et de cælo fortitudo est, ut dicitur I. Macch. III. Hoc scuto usus est David contra omnes inimicos suos, eoque mediante, vel devicit eos, vel evasit. Quæ comparatio erat Davidis cum Goliatho? Goliath sex cubitorum et palmi altitudinem ha-

bebat: David autem puer, respectu scilicet Goliathi erat. Goliath vir bellicus ab adolescentia sua erat, David vero patris sui greges pascebat. Goliath cassidem æream in capite, lorica in matam in corpore, ocreas æreas in cruribus, clypeum æream in humeris, hastam denique præacutam in manibus gerebat, David sine omni armatura cum baculo, pera et quinque lapidibus in arenam descendebat. Goliathum præcedebat armiger ejus: David solus fuit. Et tamen hic primo jactu dejecit Goliathum, et quidem mirabiliter: nam fronti ejus infixit lapidem: et Goliath in faciem cecidit, cum potius in tergum cadere debuisset videatur: quia nimirum pro et cum David pugnavit angelus Dei, isque S. Michael, ut vult Pantaleon de S. Michael, apud Serar. in lib. I. Reg. qui percussit Goliathum retro, ut in faciem caderet. Patet igitur, quod fiducia in Deum longe plus possit in bello, quam omnis apparatus, robur, astutia, consilia, etc. Hoc enim indicabat David, cum Goliatho obviaret, dicens: *Tu venis ad me cum gladio et hasta clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini, et iterum: Noverit universa Ecclesia hæc, quia non in gladio, nec in hasta salvat Dominus.* Et propterea cum liberatus esset ab omnibus inimicis suis, canebat: *Deus fortis meus sperabo in eum scutum meum et cornu salutis meæ: et rursum: Deus scutum est omnium sperantium in se; II. Reg. XXII.*

Errant igitur qui in seipsis confidunt, cum in se deceptus sit Goliath.

Errant etiam et multo magis, qui confidunt in dæmonis præstigiis, et magicis virtutibus, amuletis, etc. uti dixi alias. Audi etiam Chrysostomum, homil. XXV. [ad pop. Antioch. *Quid vero diceret aliquis de his, ait, qui carminibus et ligaturis utuntur, et de circumligantibus aurea Alexandri Macedonis numismata captivi vel pedibus. Dic mihi, hæc sunt spes nostræ, ut post crucem et mortem Domini in gentilis regni imagine spem salutis habeamus? Hæc ille. Non interimit quidem diabolus statim ejusmodi milites, sed Dei permissu expectat, donec in pessimo et certo damnationis statu eos inveniat: sicut auceps non trahit rete super avem, cum avis non plena est in area, vel adhuc pavida circumspicit, ne sibi elaboratur; sed cum jam quasi secunda in medio areæ pabulatur.*

III. Gestet cingulum veritatis, per quod intelligimus fidelitatem et obedientiam, quam jurare et servare debent ducibus suis militem. Ut enim cingulo ligatur corpus ita obedientia et fidelitatis promissione propria militis ligatur voluntas, ut jam non suam, sed ducis voluntatem

in omnibus exactissime sequi obligetur. Præcipua nota militis, cingulum: et præcipua ejus virtus obedientia et fidelitas. Unde olim præstito sacramento militari, milites cingulo accingebantur, et ita demum in numerum militum referbantur, ut scribit Barnab. Brisson juriscons. apud auct. antiq. Roman. l. X. c. III. Hanc eandem obedientiam insinuavit Christus Petro veluti militi christiano cum dixit: *Cum esses junior cingebas te, et ambulabas ubi volebas, cum autem senueris, extends manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis,* Joan. ult. Igitur hoc idem sibi imaginetur quicumque militiæ cingulum accipit, se nimirum adstrictum sacramento militari, quod jubebat ducem sequi quocumque iret vel duceret, et ne latum quidem unguem a statione recedere, vel ordinem deserere. Hoc indicatum Judic. VII. ubi delectum militum facturus Deus præcepit duci Gedeoni, ut milites suos duceret ad aquatum: et qui lamberent aquas sicut canes solent lambere, illos eligeret, et ad prælium secum duceret; reliquos autem qui flexo poplite biberent, dimitteret. Igitur qui canes imitabantur, bello aptos pronuntiavit Deus; ubi non obscure indicatur, bonum militem canis fidelitatem et obedientiam erga ducem suum exercere debere. Unde et olim milites, ob neglectam ducis sui custodiam, vel obedientiæ, et fidelitatis officium, pro pœna canem in castris humeris circumgestare cogebantur, quod magna infamia erat, ut ita in cane moneretur officii sui, ut alias diximus. Canes enim dominis fideliter serviunt, et ab iis non facile recedunt, imo et defendunt eos, cæsi non oblatrant et post verbera etiam mox redeunt ad illos; sic etiam milites ducibus suis fideliter assistere debent, nec contra eorum voluntatem ad prædam se effundere, adeoque flexo quasi poplite rapinis inhare, castigati propterea non oblatrare, aut repercutere, sed mox ad officium et stationem suam redire, et in omnibus parere. Hanc obedientiam in militibus suis prædicabat centurio in hodierno evangelio: *Et ego homo sum, inquit, sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic: Vade, et vadit; et alii: Veni, et venit.* In suis item militibus trecentos habuit Scipio Africanus, de quibus dicebat: *Nullus horum est, qui non sit, me jubente, conscensa hac turri, præcipitem se in mare dejecturus.* Refert Plutar. in apophthegm. Rom. Et certe sine ea pessum eunt res militares, cum ea nihil non effectui datur. Unde ne mirentur milites aut ægre ferant, si ob violatam obedientiam tam cito et tam graviter plectantur, plurimum enim ac fere totum militiæ negotium in obedientia eorum pendet. Certe Manlius Torquatus, in filium, qui in-

jussus pugnaverat, tametsi victorem, securi animadvertit. Et Publius Crassus virgis cædi jussit architectum, eo quod ad arietem conficiendum, non miserat malum quem petiverat, sed alium, et tamen optima fide alium miserat, velut judicio suo aptiorem; sed Publio de obedientia imprimis sollicito, displicuit tanta prudentia, Aulus Gell. l. I. c. XIII. Quare qui obedire nescit et eam agere, militem non agat.

IV. Ferat gladium spiritus, id est, zelum bonum coercendi et persequendi hostes, defendendi cives et innocuos. Duplici enim modo fertur gladius, ad femur reclusus in vagina, et nudatus in dextera; priori modo tempore pacis et inter amicos, posteriori, tempore belli seu inter hostes: priori modo contra insonites, posteriori contra noxios. Tempus gerendi gladium in vagina, et tempus gerendi in dextera. Et ideo debet gladius militis esse gladius spiritus, id est, regi a bono spiritu, et cum bono zelo; quod indicavit Dominus, Luc. IX. quando discipuli in Samaritanos nolentes Christum recipere, gladium vindictæ eximere et ignem de cælo in eos evocare volebant. Quid enim ait illis Dominus? *Nescitis cujus spiritus estis, q. d. non est a bono spiritu hic zelus, hæc vindicta: non enim decet me pugnare in homines, fratres meos, quos salvare veni; sed in malos dæmones, quos solos oppugnare volo.* Plato, l. II. de repub. eleganter dixit, milites esse debere similes cani generoso, qui adversus familiares et notos mitissimus est, contra vero adversus fures et ignotos ferocissimus. Ita hodiernus centurio, licet alioqui gentilis, diligebat Judæos inter quos diversabatur, ac proinde eos etiam tutabatur ab omni militum suorum injuria. Ita David contra hostes erat sævissimus, et quasi ursa raptis catulis, ut dicitur II. Reg. XVII. Erga notos vero et sui generis homines mitissimus et defensor, ut patet I. Reg. XXV. ubi per multos annos non modo non fuit molestus Nabali habitanti in deserto, nec quicquam de gregibus ejus abstulit, aut auferri a suis passus est, sed potius illi pro muro fuit, et servavit omnia illius quæ habebat. Eximere deinde gladium debent in hostes, sed qui vere hostes sunt, non in parvulos, senes, sacerdotes, mulieres, et cæteros, qui etiam inter hostes sunt innocui. In hujus rei figuram præcepit Deus, Deut. XX. ut obsidentes aliquam civitatem, non succiderent arbores innoxias et lignum, quod est circa civitatem: *Quia lignum est, et non homo,* ait, *nec potest contra te bellantium augere numerum.* Denique a rerum sacrarum direptione abstineant, quia templum domus Dei, et vasa templi, vasa Dei sunt, nec mul-



tæ manent ejusmodi rapinæ. Certe Constantinus M. et successores imp. etiam a direptione templorum gentilium in bellis abstinerunt, cum tamen contra gentiles a Christianorum templis non abstinuissent, ut testatur epist. XXXI. adversus Symmachum. Non abstineant igitur Christiani a sacris christianis?

V. Fulgeat lorica justitiæ, hoc est, caveat sibi a vitiis saltem gravioribus et muniat se virtutibus. Tum quia in præsentiori periculo mortis et pluribus peccandi occasionibus versatur, quam quisquam alias, tum quia scelerati milites indigni sunt victoria, et feliciter pugnare nequeunt. Hoc enim est, quod præcepit Deus, Deut. XXIII. *Quando egressus fueris adversus hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re mala.* Intellige a furtis, rapinis, ebrietate, scortationibus, blasphemis, similibusque vitiis, quibus milites injicit et inficere castra solent. *Ab omni*, vero, inquit, *re mala*: quia si vel uni vitio sit deditus, jam satis est diabolo, ut eum in gehennam trahat, licet unica tantum catena. Quemadmodum enim lorica totum corpus tegere debet, alioquin si in parte aliqua non tecta vulneretur miles, parum ei prodest alibi tectum fuisse. Sic enim et Achab cæteroquin armis cooperetus, una tantum corporis parte nudatus, sagitta ibidem percussus interiit, III. Reg. ult. Satis etiam est Deo, ut auxilium suum ei neget, qui vel uni vitio deditus est. Præcipue tamen abstineant primo a rapinis et injuriis. Audiant enim concionantem sibi Joan. Bapt. Luc. III. *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris.* Audiant Alexandrum Severum imp. licet gentilem, qui militibus suis crebro inculcabat, et per præconem promulgabat illud, quod audierat a Christianis, nimirum: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Item si quis in alicujus possessionem deflexisset, dicebat: *Vellesne hoc in agro tuo fieri, quod facis in alieno?* Ita Lamprius refert. Audiant Aurelianus imp. vicario suo scribentem: « Tu si vis tribunus esse, imo si vis vivere, manus militum contine, nemo pulum alienum rapiat, ovem nemo contingat, uvam nullus auferat, segetem nemo deterat; oleum, sal, lignum nemo exigat, annona sua contentus sit. De præda hostium, non de lacrymis provincialium habeat, etc. stipendium in balteo, non in popina habeat, in hospitiiis caste se agat: qui litem fecerit vapulet. » Ita Vopiscus, in Aureliano.

Secundo, abstineat a scortationibus, a quibus enervantur milites et hostium prædæ exponuntur. Ut Sardiæ, qui libidine defatigati, et somno oppressi, a Smyrnis obruti, capti sunt Plut. in

Paral. Titus Livius, de his loquens, ait: *Hæ delictæ Capuæ Annibalis copias enervarunt.* Strenuissimi etiam milites, propterea servi facti, omnem suam deturparunt gloriam. Unde prudentes duces, qualis Scipio apud Val. Max. meretrices omnes a castris relegarunt.

Tertio, a crapula et ebrietate: hæc enim ligat et exarmat milites. Nemo autem militum patitur facile se ligari, aut gladio discingi, quia non haberet amplius quo se defenderet. Sane Lacedæmonii eomam etiam tondebant, ne haberent quo teneri ullatenus in bello possent, teste Pierio, lib. XXXII. hierogl. Ebrietas autem aufert homini rationis usum, quæ vere gladius est animæ, quo contra omnes spiritualium præsertim hostium insultus defendere nos possumus. Eo vero discinctus, quomodo se defendet, quomodo de salute sua cogitabit? Quod eo magis advertere debent milites, quo ipsi præ cæteris facilius subitanam incurrere mortem solent. Ut enim qui certos et juratos habet hostes sibi insidiantes cautissimus est, et quocumque vadit, arma secum fert: ita decet militem tanto solertius gestare gladium sobrietatis, quo certior est de hostibus, incertior de vita. Unde Epicuri de grege natos esse oportet rhythmos illos. Hoc enim non difficile approbarem, si milites quoad animam etiam mortales essent, quemadmodum et porci.

Quarto, a blasphemis, siquidem ob blasphemias perire multi exercitus: regis Sennacheribis; exercitus Demetrii regis duce Nicanore; exercitus Antiochi regis, etc. Et præterea miles multum blasphemans, imbellem se demonstrat et timidum, quasi qui verbis solum et execrationibus terrere velit hostem. Nemo enim nescit canes timidiusculos plus latrare, quam mordere, juxta paræmiam nostram. Quod verum etiam in hostibus ante conflictum vociferari solitis, quales Hungari: ii enim ut plurimum sunt, qui primi capessunt fugam et animo parum valent.

VI. Sit calceatus pedibus in præparationem evangelii pacis. Per calceos intelligere possumus expiationem conscientiæ, quæ præcedere debet conflictum, quantum fieri potest. Ut enim is qui peregre vult ire, calceos induit, qui domi alioquin nudipes incederet: ita qui in prælium descendit, merito se calceat per sacram exomologesim, quia forte longissimum iter conficiet et apud inferos cœnabit, quemadmodum dixit Leonides militibus suis ante conflictum: *Prandete hic milites, apud inferos cœnaturi.* Per istos ergo calceos præparatur miles ad evangelium, id est, bonum nuntium pacis. Primo, quia nihil

## CONCIO X.

## DOCUMENTA.

I. Discunt catholici reveri Christum. — II. Infideles et hæretici credere. — III. Magnates humiliari. — IV. Humiles bene sperare. — V. Divites erogare. — VI. Pauperes esse grati. — VII. Domini de servis esse solliciti. — VIII. Servi esse fideles dominis et obediens.

## THEMA.

*Amen dico vobis: Non inveni tantam fidem in Israel.* Matth. VIII.

Non inveni Christus tantam fidem in Israel, quantam in hodierno centurione. Et ego, nisi fallor, non inveni tot tantaque virtutum exempla in ullo evangelio, quot et quanta in hodierno: quare sine ambagibus illud aggrediemur.

I. Ecce vobis, catholici, exemplum reverentiæ, quam Domino Deo vestro exhibere debeatis. Aspicite leprosum, qui, ob morbi horrorem ab hominibus separatus et hinc rerum divinarum ignaris, genibus flexis ad Christum venit, imo ut Sanctus Lucas ait: *Cadens in faciem adoravit eum.* Quid jam facere vos decet? Non miror ego hæreticus non prosterni ante eucharistiam, imo ludere et ridere: qui nesciunt quid faciunt, uti milites ante crucem alea ludentes. At de catholicis hæc intolerandum est, quia credunt esse Dominum et Deum suum, ante cujus oculos stant. Vidantur ergo factum negare, quem verbo confitentur. Rursum exemplum perfectæ orationis, qua Dei voluntati committitur necessitas orantis: *Domine, si vis, potes me mundare.* Non dubitat de potentia exorati, sed de sua petitione, an expediat sibi: ideo nil petit, sed necessitatem tantum aperit suam: futurus etiam contentus, si non audiretur. Videtur hanc prudentiam suæque resignationem didicisse a tribus pueris, qui Dan. III. dicebant Nabuchodonosori: *Ecce enim Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis et de manibus tuis, o rex, liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi, rex, quia deos tuos non colimus, etc.* Quasi dicat, inquit Theodoretus: « Nos pro mercede aliqua Domino nostro non serviemus, sed amore ejus omnibus rebus cultum ipsius præferimus: ipsi omnem nostram gubernationem et providentiam permittimus: quamlibet judicii ejus sententiam tanquam meliorem nobisque utiliore liberenter acceptamus. »

II. Ecce vobis, hæretici et omnes infideles, Judæi et gentiles, exemplum magnæ fidei in Judæo et gentili, utroque rudi et plebeio. Pri-

dubium quin multo alacrius pugnaturi sint expiati seu quando conscientiam suam verisimiliter pieque credent in tuto positam et ab omni gravi culpa liberam, cujus reatu reformidant futurum judicem et pœnas illas æternas, in quas statim post obitum ruunt, qui ad futurum sæculum sine expiatione transeunt; et cura reformidant, mortem refugiunt, mortisque pericula, aut frigide aggrediuntur: *Semper enim præsumit sæva, perturbata conscientia,* ait Sapiens, cap. XVI. Certe calcei militares olim clavos habebant; quibus in terram defixis in eodem vestigio staret miles, nec ad fugam esset idoneus, ut testatur Josephus, libro VII. de bello Jud. cap. III. Quid autem firmiter in prælio militem stare facit, quam secura conscientia? Quid fugere, nisi mens sibi male conscia? Vidit hoc Horatius poeta canens: *Integer vitæ scelerisque purus, non times Mauri jaculis nec arcu, etc.* Suasit vero imo præcepit suis Jacob, quando post cædem Sichimorum a filiis suis factam, timens ne Sichimitæ ultionem ab eo quærerent et armati in eum irruerent, dixit convocata omni domo sua: *Abjicite deos alienos, qui in medio vestri sunt, et mundamini ac mutate vestimenta vestra,* Genes. XXXV. Hoc idem dux ad milites suos (et quilibet ad seipsum) dicere deberet, antequam confligat: et si occasio confitendi peccata non sit, saltem examine conscientiæ utatur et Deo confiteatur, contritionem in corde suo excitet et confiteri pro occasione data proponat. Alioqui dicat, quod Moyses suis illis, Num. XIV. *Nolite ascendere, non enim est Dominus vobiscum, ne corrumpatis coram inimicis vestris.* Gedeon ante pugnam probavit milites suos ad aquas, Judic. VII. Sic dux milites probet suos prius ad aquas baptismi, si non sunt baptizati, uti fecit Constantinus imperator pugnaturus contra Magnentium tyrannum, victoriamque felicissimam comparavit, apud Theodoretum, lib. III. hist. c. III. Vel ad pœnitentiam, si sunt Christiani.

Secundo, quia bene sperandum est, quod ita expiati, victoriam, quæ profecto bonum nuntium pacis est, sint consecuturi, quemadmodum multis ex historiis christianorum ducum patet.

Denique, miles rite expiatus, etiamsi occumbere eum contingat, præparatur ad evangelium pacis, id est, ad optimum nuntium cœlestis coronæ, quia audiet illud: *Euge serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui.*